In Obitum
Doctissimi & humanissimi juvenis
MARTINI RICCII,
Reverendi & Doctissimi Viri,
Dn. M. IOACHIMI RICCII,
Pastoris & Præpositi Gartzensis Ecclesiæ Senioris, de Ecclesia Dei benè meriti, filij dilecti, qui piè & placidè Pasevvalci in CHRISTO vitam posuit Anno 1620, die 3. Maij inter horam 4 & 5. matutinam, dum vixerat annos 27. Menses 6. Dies 3. Horas 4.

Nænia apposita
â
M. LAURENTIO SCHLUTERO,
Ecclesiaste Pasevvalcensi ad
D. Mariæ ædem

Affinitatis & condolentiæ ergò

Typis Rhetianis per
Iohannem Christophorum Landrachtingerum
ANNO 1620.

Quam subitò marcet roseus flos, falce resectus,
Tàm subitò marcet floridus ore color:
Heu RICCI MARTINE tuo documenta de-
(disti
Discessu, cujus florida membra jacent.
Nam Lachesis tristis florem cum flore juventæ
Incidit, subitò floris honos abijt.
Quæ coram tecum ex sacris sum verba locutus:
Firmabant sanctam verba beata fidem.
In CHRISTO IESU spes & tua vita vigebat;
Est Cœnæ Sacræ sic satiata fames.
Ad cœnam magnam properabas, CHRISTUS in aulâ
Cœlesti excepit non dubitante fide.
Sit licet auditus tardus, gravis atq; loquela,
Attamen intus erat Spiritus ille Dei.
Salvificum CHRISTI vivum solatia Verbum
Dat, sanat, curat, vulnera dira necis.
Ad fontes sacros properabas! CHRISTUS IESUS
Fons sacer, en vivis, te refocillat aquis.
Ipse Deus præsens suscepit vota precesq;:
Raucaq; cum gemitu vox geminabat Amen.
Sic abiens: placidus compressit somnus ocellos:
Iam CHRISTUS vitâ te meliore beat.

Sistite

Siſtite vos lachrymas fraterq́ſororq́, parentes:
Condite relliquias, pallida membra, precor.
Condita quæ terris paſſim ſunt ſemina ſurgunt:
Surgent extremo ſic ſata membra die.
Me juvat Elyſiis ævum traducere campis:
Me juvat excelſum concelebrare Deum.
Felices animæ nimium! laudate IEHOVAM
Cantabo Domino cantica grata Deo.
In verâ ſedeo patriâ, promiſſaq́ regna,
Occupo pars melior, gloria CHRISTE tibi.
Quid juvat in longas vitam traducere curas?
Quid juvat? heu nullos mors remoràta venit:
Jlla manet juvenes, doctos, manet illa Tyrannos,
Illa manet pueros, & manet illa ſenes.
Tu Genitor, Genitrix cari, fratresq́ ſorores
Vivite, vos omnes fata propinqua manent:
Stamina maturo devolvit pollice Clotho:
Omnia parca ferox ſub pede Parca terit.
Tuq́ ARNSTORFIADUM domus & generoſa propago,
GARZIA culta vale! Patria terra vale.
Care Deo Martine vale: Parnaſſides udis
Ad tumulum lachrymis Pallas & ipſa gemunt.
Aſt vos Garzenſes, quorum eſt in pectore virtus,
Ferte roſas tumulo, ferte roſas, violas.
Tu quoq́ qui tranſis, dic paucis: molliter hujus
Oſſa cubent, ſummo glorificanda die.

Dialogus Funebris

Reverendi Clarißimi & Doctißimi Viri
Dni. *M.* IOACHIMI RICCII,
Pastoris & præpositi Gartzensis,
Cum Filio suo dilectß.
Dno. MARTINO RICCIO,
S. S. Theologiæ Candidato, anno χριστογονίας
1620. 13. Maij hora 5. matut. Pasevvalci placide,
in vera Christi agnitione denato.

P SUnt Bona mixta malis: sunt lætis Tristia mixta,
Depluit Uda dies, quæ modo suda fuit.
Res patet exemplo: primo dum forte jugales
Gnato orno thalamos, ecce secundus obit!
Usq; adeò humani stabile est nihil, atq; secundum,
IMMITTIT Lætis, TRISTIA FATA Deus,
F Rectè chare Pater sentis: sic sensit Hiobus,
In mundo fiunt cuncta volente Deo.
Ut Domino placuit factum est: hic tristia lætis
Miscet: pro arbitrio datq; rapitq; suo.
P Tune es qui loqueris mecum dulcissime fili
MARTINE? ô animæ mortua vita meæ;
Tune jacens vivis? Tune audis quæ tibi justa,
Et quas exequias jam paro, Nate, vides?
F Mente quidem vivo, Genitor, non corpore vivo
Nec vivo mundo, sed tibi, Christe Deus.
P Ah brevis in terris nimium tibi vivere vita
Est data, nam corpus ceu rosa verna cadit

Occidis

Occidis in quinto Lustro flos ipse juventæ,
Martine ô animæ portio magna meæ,
Dignus eras equidem, mi fili, heic vivere plures
Annos: Spes de Te non mihi parva fuit.
Esse putabaris sacras tu natus ad artes:
Atq; secuturus fortè Parentis iter,
Sed spes vitæ exspes! nulla est fiducia rebus
Humanis: morimur, vivere ut incipimus,
Ut cita fertur avis, vel telum missile in auras,
Sic fugit ex oculis, qui modo vixit homo.
F Chare Pater, cuiq; est mensis fatalis, & annus
Pendet ab arbitrio vitaq; morsq; Dei.
Nemo suæ vitæ potis est producere metas,
Nec mortis poterit quis revocare gradum.
Quis vixit, cui non casses Proserpina tendit?
Cui CLOTHO & LACHESIS parcere visa fuit?
Nulli: mista senum ac juvenum sunt funera, morbos
Illa ętas veteres, parturit hæcce novos.
Me, cum vernavit primæ lanuginis ætas,
Mors rapit ante diem, non tamen ante diem.
P Nonne tuum citius poteras mihi scribere morbum,
Præstaret medicus doctus ut artis opus?
Sæpè videmus enim medicâ ratione levari
Ægrotos, nimium nî invaluêre mala.
F Non est in medico semper relevetur ut æger,
Naso ait, interdum plus valet arte malum.
Finis ubi vitæ est, posuit quem conditor ipse,
Quod quem sanaret, non medicamen erit,
Frustra est, si Pæon, Palaræus Apollo, Machaon,
Dent herbas, flores, vel si Epidaurus aquas.
P Ah modo maternis cecidisses (defleo) in ulnis,
Ah modo clausisset patria dextra oculos!

Ah te vidissent fratres, caræq; sorores,
Quæ te jam lugent, fletibus ora rigant.
F Dulce quidem fateor; Pater ô Reverende; fuisset,
In vestro amplexu colloquioq; mori.
Sed quid tum? FATO Parendum est: irritus ergo
Luctus: Sat sit quod me tua busta tegant.
Vos mea ne nimium doleatis fata Parentes,
Nil possunt lachrymæ, nec revocant homines.
Non vester perij, ast antè jvi filius: ortum
Qui trahit è cælis, ille perire nequit.
,, Credite, qui juvenis moritur, mala plurima nescit,
,, Cogitur EMERITUS qualia ferre SENEX.
Vita pijs brevior solet esse, ac evocat orbe
Quos amat, ad sese conditor ipse Deus.
Defuncti lætam vivunt sine turbine Vitam,
Ast vivos vexant multa pericla viros!
Ergò Deo grates fundo, quod pace quiesco,
Quod mihi devictâ morte triumphus adest.
AVOCOR: his, mi chare pater, materq; sororesq;
Et trini fratres; tu quoq; Gartza vale.
P Vera refers fili, verbis his gnate quiesco:
Spero brevi tecum cælica regna colam.
Dissolvi cupio: Ingrato non vivere mundo,
Jn quo non pietas ulla, nec ulla fides.
In quo vita nihil, nisi duri plena laboris,
In quo MARS sævo nunc furit ense ferus.
In quo conspirant Boreas, Eurusq;, Notusq;
Cum Zephyro; non spes, nilq; videtur opis.
Christe veni, mundiq; tuum duc carcere servum
Ad cælum: propera: Spes mea Christe veni.
Interea MARTINE VALE, novus incola cæli,
Inq; meo busto molliter usq; cuba.

Hasq;

Hasq; meas lachrymas tecum, peto defode in Urnâ,
Hæ patrij signum & tessera amoris erunt.

Condolentiæ, consolationis & debiti fraternitatis officij ergò, raptim ipso die sepulturæ, fundebat,

Ernestus Neomannus Pastor
Brausenfeldensis & Môrvitzensis.

ELEGIA LAMENTATORIA ET CONSOLATORIA in præmaturum obitum Doctiss. juvenis VIRI Dn. MARTINI RICCII,

Reverendi & eruditissimi Viri, Dn. *M.* IOACHIMI RICCII Pastoris Ecclesiæ Gartzensis, & vicinarum inspectoris, Filij longè charissimi, die 13. Maji Pasevvalci defuncti, & ejusdem mensis die 18. Gartziæ sepulti; quâ elegiâ mœstus pater defunctum filium alloquitur, & sic farier infit;

CUr querar, aut plangam, quæris charissime Fili?
Nonne gravis planctus Mors tua causa mihi est?
Eriperis mihi quod medio sub flore juventæ,
Qui mihi grandævo mite levamen eras.
Vix asscriptus eras Doctis, qui principe CHRISTO,
Ad cœlum monstrant, verbum, iter atquè docent:
Cum te Mors rapit, & vitæ tibi denegat usum,
Quæ properat celeri Mors inopia gradu.
Quæ mihi te decuit digitis occludere patri,
Hæc absens nato claudere non potui.

Cum

Cum tu debueris funus mihi jure parare;
Funeris à me nunc pompa paranda tibi est.
Non adeò, FILI, lugerem funera, chare
Non MARTINE adeò MORS mihi dura foret;
Si modò, dum morer is, licuisset adesse parumper,
Extremumquè tibi dicere voce vale.
Ast placuit summo sic Patri, ut morte vocaret
TE, ME absente patre; Sic pater ipse fuit.
Ipse fuit, manet, atquè erit is, qui fletibus hisce
Imponet finem, quando redibit Abas.
Cumq; mihi verè sit spes immota, quod ambos
Æthereo junget vita beata polo:
Indulgebo minus lachrymis, saltemq; precabor:
Spiritui & cineri pax sit, & alma quies.

Chronodistichon, in quo annus mundi, mensis & dies obitus nomenquè defuncti continetur.

MaIVS tres soLes, MartInVs RIICCIVS orbe
CVM perIt InDIgnè, feCerat atqVè DeCeM.

Annus Christi
AMbrosIVs FabrICIVs
SenIor sVbDIt.

